

Q.K
513
35

N. N. II, 410.
f. 75, 34.

IIa
574

PROGRAMMA
DE
VERA OTII LITTERATI NOTIONE EIVS ABVSV ET
SALVTARI VSV

QVO
NUMINE DIVINO
AD
SOLLEMNIA NATALITIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

X 2316506

DOMINI
LVDOVICI GVNTHERI

PRINCIPIS SCHWARTZBVRGI
RELIQVA

AC
SERENISSIMAE PRINCIPIS
SOPHIAE HENRICAE

FELICISSIMO CONNVBIO
NVPTAE PRINCIPIS SCHVVRTZBVRGI COMITVM

STIRPE RVTHENORVM ORTAE
OPTIMIS OMNIBVS PROSEQVENDA
PERILLVSTR· ATQ· EXCELLENTISS

ILLVSTRES CONSVLTISS· MAGNIF
SVMME REVEREND· NOBILISS· DOCTISSIMOSQ
REI SCHOLASTICAE CVRATORES
AMPLIFICATORES FAVTORES AMICOS
CRAS SI DEVS VOLET OBITIS SACRIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GAALE)

VNA CVM
CLARISS· SVO RECTORE
INVITAT
M· FRID· NIC· ULRICH
CON-RECTOR

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

RVDOLSTADII
PRELO VIDVAE LOEWIANAE

Indomina

10. 11. 1871
1871

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. Some faint words like "LITTO" and "LITTO" are visible.





A. 2



Um nihil, alterna destitutam requie, perduret, arcusque, nimum census, denique rumpatur, res ipsa facit perspicuum, hoc magis iuuentui, artibus studiorum liberalium dedita, interdum non nihil laxamenti permittendum, quo exploratus uigilatae attenuent noctes corpora, quoque hebetiores animi, in pertinaci rerum feriarum contemplatione defixi, tandem reddantur. Quippe, quemadmodum uolucres uidemus procreationis atque utilitatis suae causa fingere & constituere nidos, easdem uero, cum aliquid effecerint, leuandi laboris sui causa, passim ac libere, solutas opere, uolitare, sic nostri animi negotiis defessi publicis, aut alio quocunque ex officio conficiendis, gestiunt ac uolitare cupiunt non nunquam cura uacui, atque labore. Quo factum, otii ut literati ueteres non appetentissimi tantum fuerint, uerum etiam illud, ut lucrosam, commendarint. Plinius, *O dulce orium*, ait, *honestumque, ac pene omni* (a) *negotio pulchrius*. Scipio atque Laelius, narrante Scaeuola, saepe numero rus ex urbe, tanquam a uinculis euolantes, conchas & umbilicos ad Caietam & Laurentum legere, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere (b) consuerunt. At enim, sicuti re-

)(2

media

(a) Lib. I. Ep. IX.

(b) Cic. Lib. II. de Orat. p. m. 200. lit. F.

media, uel praesentissima, tantum incommodant aegris, si minus temperatae, si immoderate, nec suis proponantur morbis, quantum, prudenter sumpta, profuissent, ita haud diffidendum, otium, quod dixi, litteratum, ut docilibus ceteroqui fructuosissimum ingeniis, sic perniciosissimum esse iisdem, si, in quo sit illud positum, aut ignorent, aut simulationem intelligentiae usurpent. Namque complures iuuenum falso opinantur, otium hoc litteratum esse uacationem a laboribus non ordinariis tantum, uerum quoque ab omnibus aliis, quae animos fatigatos oblectent & nutrant, studiis, caussam interserentes, otium istud a Graecorum ἄτι (c) arcessendum, ubi scilicet nihil agatur, manibus sedeat compressis, aut saltem ad ineptias abeat. Cui uocis notationi quam multorum respondeat uitae ratio, experientia satis pernoscitur magistra. At fallunt, & falluntur. Dic, sedes, quid Musis cum torpore, desidia & otio illo nefando, quo tantum hebescunt & languent, qui ad fruges consumere nati uidentur, quibusque anima pro sale indita est, ne languidum & otiosum corpus putrescat. Valeat illud. Otium ad praesens circumspectamus litteratum, quod est leuior corporis, uel animi, exercitatio a grauioribus & magis seris occupationibus. Inde Ciceronis illud, *quid dulcius (d) otio literato.* Neque parum luminis hic afferunt nostrae sententiae uerba Erasmi, Roterodami, qui in praefatione, nescio, qua, quemadmodum, scribit, *qui sunt a scorpis iciti, solent ab iisdem remedium petere, ita mihi conuenire uideatur, ut, qui litteris sumus additi, animi lassitudinem, aut corporis afflictionem e studiis grauioribus contractam, ab iisdem studiis, sed amantioribus, recreemus.* Etenim qui uere studiosi sunt, per omnem uitam nihil aliud agunt, quam diu licet illis suo arbitratu uitae cursum moderari, nec tam intermittunt studia, quam remittunt & relaxant aliquoties ingenium, cessant nunquam, otiantur interdum, sed interim agentes aliquid. Feriantur aliquando, sed sic, ut otii rationem pulchre queant reddere. Et, si libet, cessant etiam non nunquam, sed, ut eorum cessatio plus afferat bona frugis, quam quorundam negotiosissima occupationes. Sic nimirum fortis & gnauus miles (conferam enim exemplum similitus) dum in aestiuis aut hibernis agit, aut dum induciae praestant, ut necesse non sit in acie stare, aut excubare sub pellibus, tamen ita lusibus relaxat animum, ac uires reficit, ut lusus ipsi militiam sapiant. Pugnat ad palum, iaculatur ad scopum, torque

(c) Beemani Origines Lat. ling. p. m. 779.

(d) Lib. V. Quæst. Tnsul. p. m. 267. lit. E.

torquet fundam, uibrat hastam, deceriat palaestra, concurrat lanceis, torrentem
natau transmitit, armatus in equum insilit. Denique sic feriatu a belli mu-
niis, ut ad ea redeat uegetior. Ex quibus non obscurum erit intellectu,
tantum abesse, otium ut litteratum inertia, seu ineptiis, contineatur, ut
potius illo perfruentes interdum sint occupatissimi in rebus quamvis iu-
cundioribus, quae ingenii aciem non hebetant, sed exacuunt potius
obtusam

Quoniam igitur, litteratum quid sit otium, breuiter dixi, pauca quo-
que dicam de illius corruptela. Palam est, quam turpiter, si quod obtingat,
a quibusdam traducatur. Alii Sentio Saturnino sunt similes, qui a Velleio
quidem commemoratur uir multiplex in uirtutibus, nauus, agilis, prouidus,
militariumque officiorum patiens, sed, ubi negotia fecissent locum, otio libe-
raliter lauteque eo abutens (e) Alii, quod fortasse uix fidem mereri potest,
cum eruditissimorum affectent nomen, ita molli inertique otio spatium,
laboribus immune catenatis, consumunt, ut non suppudeat illos quiritari,
tempus nimis longum ipsis uideri, nec esse, quo illud fallant. Quem fugit
illud Coelii ad Ciceronem, cum otiosus sum, inquitentis, plane, ubi de-
lessem otiolum meum, non habeo (f) At, miserum mortalium, ne dicam,
litteratorum genus. Si expendatis, uitam esse breuem, artem uero, ut
aiunt, longam, uix querimoniis eius modi ridiculis turpiter uos dederitis.
Eloquar, an fileam, si iuuentutem in uitia flecti iam iam ceream, laborisque
impatientem, intuear. Pro Deus bone, quam negligens irreparabilis illa
est temporis. Rem optime gestam esse, sibi persuadet, si spatium, uel
horarium, litteris, licet in transcurso, impertierit. Quod repetendis
acroasibus, aut publicis, aut priuatis, siue honestae animi relaxationi,
dandum relinquitur, id ineptiis, crepundiis, fabulis Milesiis lectitandis, de-
prauatis conuenticulis, comestationibus, & denique cuticulae tribuitur cu-
randae. Quid mirum, si spem patriae, praeceptorum, & parentum, in-
cusabilis quorundam impietas tandem defraudet

Vos igitur, iuuenes perquam dilecti, siquid amoris erga pietatem
& salutem uestram in uobis residet, cognoscite tandem, qua ratione otio
hoc

(e) lib. II. c. 109.

(f) Lib. VIII. Ep. III. ad Fam.

hoc utendum sit litterato, si quando in foro, & hominum, & Dei, uitae ante actae rationem certissime & indubitato reposcitur, stare uelitis. Opus est uobis, ut supra dictum, interuallo animi relaxandi causa. An quaecumque cupiditas uos inceperit. Minime omnium. Actis demum laboribus, respiratur. Quotusquisque autem est, quin ei labores prius iucundi & acti uideantur, quam eos susceperit, nedum tolerarit. Pesimum otium. Longe aliter Musarum limen intraturis animus olim uidebatur remittendus. Otiosi enim, hoc est, negotiis soluti grauioribus, doctis sermonibus, inter se collatis, oblectabantur. Id quod Laelio, Fannio, & Scaeuolae in more positum commemoratur. (g) Hi de loco quodam, haud tamen ex triuio petito, disputabant. Cuiusmodi non occupati tantum, sed etiam otiosi, si poterant, prodesse allaborabant. Eadem de causa Velleius item admiratur Scipionem. *Neque enim quisquam, ait, hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio disspunxit, semperque, aut belli, aut pacis seruiit artibus.* (h) Atque deinde, ut scite Tullius, se nunquam minus otiosum esse, quam cum sit otiosus, pronunciat, ita ueteres, si non colloquiis, sale refertis, at scribendo hoc otium delectabant. Inde originem ducunt Camerarii, aliorumque, horae subcessuae, ac Henelii, Gundlingii, Kramerii, Bennerii et quae sunt eius modi, scripta, quae Otia inscribuntur. Nonnulli denique praeforum a negotiis publicis, tanquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut uoluntate sua feriat, totos se ad poetas, seu ad geometras, seu ad musicos contulerunt, alii etiam, ut dialectici, nouum sibi ipsi studium ludumque pepererunt. (i) Quemadmodum igitur laboriosa antiquitas egregiam uobis exempli imitationem prodidit, ita officio conuenit uestro cum illa industriam et assiduitatem adaequare, neque committere, ut Diabolus hoc ipso in otio nos inueniat otiosos. Quo celerius enim animi luxuriantur otio, hoc aptiora sibi arma ille ex otiosis poterit procudere ad quodlibet audendum. Si quid iam uobis otii de praefinitis restet horis, restat autem, uti nostis, ratione id multiplici bonaque itidem mente conteratis, licet. Vobis agitandi corporis ergo inambulatum ituris sit comes, liber, ut lectu iucundus, sic ingenii plenus, aut aequalis, uestri simillimus, dignus prob-

(g) Cic. Lael. C. IV, §. 6.

(h) Lib. I. c. XIII.

(i) Cic. lib. III. de orat. p. m. 265. lit. E.


proborum condiscipulatu, praeterque ceteros, quam morum concinnitate, tam industria, in litteris expromta, commendabilis, qui studio suo uos potius excitet, quam mores uestros deprauet. Quicum linguam sibi usu sermonis latini crebro procudere, de uariis iisque necessariis, quantum per aetatem licet, argumentis amice disserere, gratisimum erit quaestuofissimumque. Pari modo etiam in museis otium hoc foeneremini, necesse est. Qui praeterea musicorum & pingendi per lineas peritia sunt praecellenti, grata illud uicisitudine non minus transmittent. Silentio, ob temporis et paginae angustiam, alia sexcenta otii huius, bene collocandi, genera praetermitto. Extremum id unum in pectus demittatis, uelim, uos, tanquam pietatis uestrae negligentes, non impune abituros, nisi otium hoc litteratum, quotiescunque nanciscimini, salutariter consumatis, atque mecum, grati animi studio inflammati, anquiratis, quis nobis quoque in nostro Rudolphopolitano bonarum litterarum domicilii haec eadem otia fecerit. Id quod uero coniiicere cuius promptum est. Ea non possimus non accepta referre placido tranquilloque regimini et pie Principum Schwartzburgi uitae, quorum sub fide et clientela Musae nostrae studia possunt grauiora otio litterato ex animi sententia subinde commutare. Proinde, ratione officii ducta, nostrum erit, aetatem ut otiosam et quietam sine ullo labore et contentione illi traducant, uicissim summe cupere, die maxime hodierno, quo natales Serenissimi Principis ac Domini, LVDOVICI, GVNTHERI, eiusque coniugis Serenissimae SOPHIAE, HENRICAE, nobis festi habendi, desideratissimam dant officii faciendi occasionem. Faxit ergo praepotens Dei Numen, haec ut festorum natalitiorum celebritas, quod unum nobis est in optatis, semper felix, fausta fortunataque, quam diutissime, redeat. Adaequet parens noster patriae CLEMENTISSIMVS cum pietate aucta fortunam, eamque, mortalitatis sine non nisi sero facto, omnium maxime superet. Laetetur denique uniuersa Domus Schwartzburgica felicitate inuidenda gloriamque in secula transmittat. Uberius et fusius hoc precandi acclamandique munere perfungi supersedeo, ne plus uerbis, quam pietati, quae pectus tantum deuouet candidum, dare uidear, in primis cum tres (*) iuuenes, quorum studia improba gaudent litterarum continuatione, parent piis testificari plausibus, sese, cum omnia sint plena laetitia et gratulatione, nullis esse secundos. Quos igitur, MAECENATES GRAVISSIMI, aut quiqui Musis estis propitii, quod nobis in more positum, beneuole audiatis, uestroque

que conspectu frequentissimo ad maiora excitetis, pro ea, qua quemque decet, obseruantia, rogo atque oro

- QK
Tia
5714
-
- * Primus, GEORGIUS MICHAEL MEVRER, Blanckenburg de necessitate consuetudinis cum eruditis, ore Romano, dicet
Alter, IO· FRID· SIM· VVOHLFAHRT, Koenigsfeens de iis, quae decet eruditos, quibuscum uersari in animum induxi-
mus, uerbis Germanicis, metro ad strictis, differet
Tertius, CHRISTIAN THEOPHILVS MVLLER, Neufizenf de officiis iuuenum, cum eruditis uersaturorum
-

Scribendam Rudolphipoli, XI· Calendas Decembres A· R· S·
cb l b cckxxviii





Q.K.
513
35

N. N. II, 410.
f. 75, 34.

IIa
574

PROGRAMMA
DE
VERA OTII LITTERATI NOTIONE EIVS ABVSV ET
SALVTARI VSV

QVO
NVMINE DIVINO
AD
SOLLEMNIA NATALITIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI X2316506
LVDOVICI GVNTHERI

PRINCIPIS SCHWARTZBVRGI
RELIQVA
AC
SERENISSIMAE PRINCIPIS
SOPHIAE HENRICAE

FELICISSIMO CONNVBIO
NVPTAE PRINCIPIS SCHVVRTZBVRGI COMITVM
STIRPE RVTHENORVM ORTAE
OPTIMIS OMNIBVS PROSEQVENDA
PERILLVSTR· ATQ· EXCELLENTISS
ILLVSTRES CONSVLTISS· MAGNIF
SVMME REVEREND· NOBILISS· DOCTISSIMOSQ·
REI SCHOLASTICAE CVRATORES
AMPLIFICATORES FAVTORES AMICOS
CRAS SI DEVS VOLET OBITIS SACRIS

VNA CVM
CLARISS· SVO RECTORE
INVITAT
M· FRID· NIC· ULRICH
CON·RECTOR

RVDOLSTADII
PRELO VIDVAE LOEWIANAE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Ludovica